

85.

Vir amplissime!

Evonymum leprosum esse varietatem constantem nunquam dubitavi, quemadmodum *Perca gibbosa*.

Evonymum latifolium esse varietatem angustifolii constantem credidi ab eo tempore quo vidi *Evonymum americanum*. Tu quaeso des in Tuis differentiam specificam.

Brassicae orientalis folia, sed flores lutei, ergo alia.

Brassica campestris apud nos non crescit, sed in australibus regni provinciis, quaeso delinees Folia radicalia.

249. *Carduus acanthoides* mihi annua est.

Phleum schoenoides mihi, sed non est *Phlei* species ut postea didici.

252. *Pedicularis recutita* est, sed meum specimen variat foliis, staminibus.

242. *Dipsacus pilosus*.

271. *Coronilla minima* mihi. Vid. *Amoen. acad.* IV. p. 327. ubi habeo stipulas solitarias emarginatas.

278. *Senecio* mihi ignotus. Vale

Car. Linné.

Upsaliae 1775, d. 8. Sept.

86.

Curcumam habemus et nos in horto, est simillima Hermann in Horto Lugdabat. et omnino eadem ut ex figura et specimine meo indico constat; a hac Tua figura aliena est. Hermannii planta gerit scapum frutescentem distinctum a foliis, in tua vero excrescit inter folia spica cum caule non nudo. Habeo *Curcumae* speciem e Surinamo cui itidem spica inter folia, sed scapus nudus tripedalis. huic intercomas spicae flosculi ubique terni. Perianthium foliolis tribus petaliformibus, Corolla limbo 5partito; laciniis quatuor